

## S E X T V S.

sicut proportio sinus b, a. ad sinum a, g. dummodo z. sit polus eclipticæ, & a, f. & a, l. quartæ. Cogniti autem sunt b, z. & z, f. & b, a. Nam l, f. est 5. grad. & proportio sinus a, f. ad sinum f, l. sicut proportio sinus a, b. ad sinum b, g. sic dum a, b. est 20. grad. b, g. est unius gradus, & 42. m. Item à puncto g, cadat perpendicularis super a, b. quæ sit d, g. quia proportio sinus a, l. ad sinum l, f. sicut proportio sinus a, g. ad sinum g, d. inuenies g, d. insensibiliter differre a, g, b. Nam dum a, b. est 20. grad. reperies g, d. esse 1. grad. 42. m. ferè. Nihil erroris sensibilis sequetur, si loco arcus g, d. in eclypsibus sumatur arcus g, b. etiam si loco arcus a, d. sumatur arcus a, b. quoniam si g. sit centrum Solis vel umbræ, fiet b. uerus locus Lunæ in uera applicatione. Sed d. uerus Lunæ in medio eclypsis est, tamen possibilis est arcuum g, d. & a, d. scientia, ut iam ostensum est de arcu g, d. Arcum autem a, d. inuenies per uiam, qua inuentæ sunt ascensiones rectæ ex arcu a, g. iam noto, uel quia sinus complementi d, g. ad sinum complementi g, a. proportio sit sicut sinus totius ad sinum complementi d, a. Si tamen quis, dicit Ptolemæus, huius rei scientiam exactam querat, multo iustius illi difficultas operis angat, q̄ utilitas delectet.

### P R O P O S I T I O   X V I .

In eclypsi lunari ex latitudine Lunæ in medio eclypsis, & aggregato semidiametrovum Lunæ & umbræ digitos eclipticæ prænoscere.

¶ Sit circulus designans umbram in loco transitus Lunæ b, f. Semidiameter eius a, b, semidiameter autem Lunæ sit linea b, c. ita ut aggregatum ambarum semidiametrovum sit a, b, c. portio eclipticæ a, d. circulus Lunæ declivis d, e. in quo locus Lunæ in medio eclypsis sit c. Si itaq; latitudo Lunæ a, e. sit æqualis aggregato semidiametrovum, scilicet a, c. constat quod Luna continget circulum umbræ, & nihil eius eclypsabitur.

¶ Sed si latitudo Lunæ a, e. sit minor linea a, c. ita tamen ut sit maior linea a, b. fiet eclypsis Lunæ partialis. Ideo sublata latitudine a, e. ab aggregato semidiametrovum scilicet a, h. remanebit e, h. quæ est æqualis f, g. parti diametri Lunæ eclypsatæ, & cum tota diameter Lunæ sit nota, constituta ipsa 12. digitorum, constabit quot digitorum sit f, g. hoc fit si duxeris f, g. in 12. & productum diuiseris per diametrum Lunæ.

¶ Si autem latitudo Lunæ minor esset semidiametro umbræ in quantitate, semidiameter Lunæ fieret eclypsis totalis sine mora, & sic esset 12. digitorum. Quando uero semidiameter umbræ excedit latitudinem Lunæ in pluri quam semidiametro Lunæ, tunc fit eclypsis totalis cū mora. Quando autem Luna careret latitudine, tunc in medio eclypsis centrum eius esset centrum umbræ, fieretq; eclypsis Lunæ maxima quæ possibilis est, præcipue si foret cursu tarda. Quando itaq; uoles inuenire digitos eclipticos, aufer latitudinem Lunæ ab aggregato semidiametrovum, reliquum duc in 12. & diuide per diametrum Lunæ, si proueniunt puncta pauciora 12. erit eclypsis partialis, si præcise 12. erit universalis, sed sine mora, si plura, 12. erit universalis cum mora. Conuersa huius quoq; nota est, cum uelis ex digitis eclipticis & semidiametris Lunæ & umbræ, latitudinem Lunæ in medio eclypsis cognoscere, duc digitos in diametrum Lunæ ui-

K   iii   sualem'

